



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

XXVIII. Christi Fidelibus Sæcularibus ac Regularibus Hispaniarum
conceditur recitatio Officii & Missæ S. Antolini Martyris cum Oratione &
Lectionibus propriis secundi & tertii Nocturni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

1731.

Cum irrita-
tione dicti
Decreti Au-
ditoris Bene-
dicti XIII.

Et cum de-
claratione,
quod ad ea-
dem obeun-
da officia sin-
guli Ordinis
Fratres te-
neantur.

Præsentium
Literarum
Fides:

Ac obstan-
tium quorumcum-
que derogatio.

Transumptis
danda Fides.

tum vero per Auditorem ejusdem Benedicti Prædecessoris editum, sicut præmittitur, revocamus, ac e medio tollimus. Declarantes tamen resolutionem Capituli Generalis, & literas præfatas ita juxta dicti Ordinis Constitutiones accipiendas, atque intelligendas fore, ut omnibus ipsius Ordinis Fratribus communes sint, ac esse censeantur, & tam Chorales cujusvis status, gradus, & conditionis existant, quam Donatos complectantur, atque munere humilitatis exerceri debeant ab iis, quos a suis Superioribus, quacumque pro tempore occurrente necessitate vel occasione, ad illa gerenda deputari, vel in tabella, per Superiorem secundum Rubricam Ordinis prædicti fieri solita, describi contigerit: Ipsisque propterea Superioribus, ac Superioribus harum serie præcipimus, ut in demandandis ejusmodi muneribus humilitatis, & in conficienda tabella præfata, pari discretione & charitate erga Fratres Donatos utantur, qua utuntur in Clericis seu Chorales: & sicuti his dicta munera injungere, eoque in tabella describere non consueverunt, quando aliis laboriosis ac extraordinariis occupationibus destinentur, ita quoque agant cum Donatis, qui id genus occupationes, sive ratione proprii officii sive alterius negotii, aut ministerii sibi commissi subire debuerunt: volentes & statuentes, quod quemadmodum obligatio omnes tenet, ac æque Clericis quam Donatis imposita reperitur, æqua quoque sit & servetur inter omnes discretionis ratio sine differentia inter Clericos & Donatos hujusmodi. Ac decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas & efficaces existere & fore, suorumque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere; ac ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit, inconcusse observari, ac eis respective suffragari; sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis & eorum cui-libet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 2. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis Ordinis & Provinciarum ejusmodi, illorumque Domorum & Conventuum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in Judicio quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 8. Martii Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Christi Fidelibus Sæcularibus ac Regularibus Hispaniarum conceditur recitatio Officii & Missæ S. Antolini Martyris cum Oratione & Lectionibus propriis secundi & tertii Nocturni.

CLEMENS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

EXigit Apostolicæ servitutis ministerium, quod imbecillitati nostræ committere voluit divina Dignatio, ut pia sublimiorum Principum Orthodoxæ Fidei tuendæ & propagandæ zelo, aliisque multiplicibus in Ecclesia Dei meritis conspicuorum, vota, quibus Beatorum Martyrum, Cælestis Hierusalem Civium, immacrescibili Gloriæ Corona redimitorum, veneratio in terris promovetur, ad exauditionis gratiam paterna charitate admittamus.

§. 1. Itaque piis charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici precibus, nobis super hoc humiliter porrectis, favorabiliter annuere cupientes de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Sacris Ritibus propositorum Consilio, ut in omnibus Regnis & Dominiis ipsi Philippo subjectis singulis annis Officium diei Festi Sancti Antolini Martyris cum Oratione & Lectionibus propriis secundi & tertii Nocturni tantum, dummodo reliqua sumantur de communi sub ritu duplici minori, servatis tamen Rubricis, ab omnibus Christi fidelibus Sæcularibus & Regularibus utriusque sexus recitari, & Missa respective celebrari possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus & indulgemus.

§. 2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem, ut ipsarum præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ab omnibus, & ubique tam in judicio quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 17. Martii 1731. Pontificatus Nostri Anno primo.

F. Card. Oliverius.

Literæ Processus Sanctissimi Domini Nostri Clementis Papæ XII. publicatæ die Cœnæ Domini anno 1731.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

PAstoris Romani Pontificis vigilantia & sollicitudo &c.

Cetera consulo omittuntur cum pluries repetita habeantur in præcedentibus Tomis.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigésimo, 11. Kal. Aprilis Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. A. Arch. Theod. Datarus.

F. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. Archiep. Ancyranus.

N. Stivanus.

Loco \dagger Plumbi.*Registrata in Secretaria Brevium.*

XXVIII.

Dat. die 17.
Martii Anno
Dom. 1731.
Pontif. I.

Exordium.

Philippi His-
paniarum Re-
gis preces SS.
D. N. porre-
ctæ.

Recitatio Of-
ficii S. Anto-
lini concessa.

Cum obstan-
tium derogatio.

Fides tran-
sumptorum.

XXIX.

Dat. die 22.
Martii Anno
Dom. 1731.
Pontif. I.